

Scripturam, profitebantur, a Spiritu S. se cordibus inscriptam tenere. Homines, ad adultiorem profectos aetatem, novo baptismo initiabant, tribus tantum aquae guttulis caput aspergendo. Ad calamitates, imo mortem ipsam, sustinendam, ad exemplum Liberatoris, cum quo paria mereri volebant, promptos sese, atque paratos, offerebant. Effectum tamen est studio, atque industria D. Casparis Crucigeri, Philippi Melancthonis, nec non Antonii Musae, Symmistae Ienenfis, ut plerique horum, abiecto errore, ad Ecclesiae gremium reducerentur. Auctor est Vitus Lud. Seckendorffius, in Hist. Luth. L. III. § XLI. in Add. p. 115. Sed nec in aliis regionibus defuere ex isto hominum genere, qui ad meliorem mentem redierunt. Quale exemplum Georg. Cassander commemorat, in Epist. ad Adolphum Baers, nec non Cornelium Gvalterum, perscriptis. Quae ambae leguntur, in Opp. iunctim A. cl. Io. c. XVI. editis, p. 1203. & 1207. Res ita se habet. Capti erant Anabaptistae plures sexaginta in vinea quadam, prope Coloniam, in qua nocturno tempore, ad concionem audiendam, confluxerant. Ex his, ut paucis dicam, tres traditi sunt illi, qui, pro more, Comitis ibidem vices tenebat. Cum horum uno, cui nomen Matthias, quique Doctoris, & *Βαπτιςτ*, iam a longo tempore, officio defungebatur, volente ita, & iubente Coloniensium Archiepiscopo, colloqui de Religione Cassander debuit. Quod colloquium Coloniae XII. Iulii A. cl. Io. LXV. habitum, extat in Cassandri Opp. p. 1234. seqq. At enim tantum abfuit, ut per colloquium, semel, iterumque, repetitum, pertinacia hominis sit expugnata, ut non veritus sit, morte etiam suam obfignare errorem. Et talem pariter secundus sese praebuit. Tertius vero, patria Bruxellensis, qui disceptationi, cum Matthia habitae, interfuit, aliquantum resipuit, & quo minus pertinax videretur, mitissimis, quae sunt Cassandri verba, conditionibus dimissus est.

§. XIII. Cum recentiori aetate, tantum non ubique, foeminae Enthusiastico corripentur Spiritu, inter istas non postrema esse voluit *CHRISTINA REGINA BADERIA*, Antistitis Simmerfeldensis, in Ducatu Wurtembergico, filia. Incepit ea iam ab anno 1693. qui erat aetatis decimus quintus, multas, in-

B 2

solitas.